DE ORCHITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE V. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

HERMANNUS JACOBUS SACHS
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. FRIEDBERG, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
E. HILDEBRAND, MED. ET CHIR. DR.
M. MEYER, PHILOSOPH. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

NOSOCOMII JUDAICI INSPECTORI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Inflammatio testiculi vel unius vel utriusque, nominatur solenniter Orchitis (ab ὄρχις, testis). Alia sunt nomina: tumor testiculi inflammatorius, Hernia Veneris, Hernia humoralis, testiculus venereus; gallice inflammation des testicules, chaude pisse tombée dans les bourses; germanice entzündliche Hoden-Geschwulst, Tripperhode, Sandklofs, Sandhode.

§. 2.

Si causam orchitidis respiciamus duplicem esse invenimus: aut ex blennorrhagia urethrae prodit, aut non. Si non ex causa venerea nata est, aut mechanicum in modum impetu quodam in testem illato enascitur aut sympathia oritur. — Orchitidis sympathica origo his in casibus nobis obviam fit:

1) In hominibus, qui ventre laborant et malis ex turbata ventris functione ortis, nempe haemorrhoidibus, arthritide et lithiasi saepius orchitis oritur, omni gonorrhoeae antecedentis aut praesentis suspicione remota. Hic etiam adnumerandum est, quod Clossius (Car. Friedr. Clossius über die Lustseuche. Tübingen 1797.) dicit, quum explicare studeat testiculi dextri inflammationem

frequentem: oriri hanc dicit, ex propinquo intestino coeco et colo adscendente, quod faecibus et aëre impletum testiculum dextrum irritet. Quum vero testiculum sinistrum ex causa gonorrhoica saepius quam dextrum inflammatum inveniamus, assumere modo possumus, testiculum dextrum inflammatum, si non ex causa venerea affectus sit, saepissime turbata abdominis functione enasci. Homines vero hujusce modi facilius etiam in orchitidem incidunt, si jam semel hoc morbo laboraverint, et levi modo vitio diaetetico, refrigerio, calefactione aut pressione testis e. g. vestimentis, opus est, ut morbus evocetur (Eisenmann T. II. p. 100.). Ille morbi casus, in quo taenia orchitidem producit, hic quoque pertinet.

2) In rheumatismo interdum testiculus tumidus et ad partem pellucidus nobis obvenit; compluribus tum diebus praeteritis, alia testiculi pars intumescit et modo haec modo illa testiculi pars affecta est, ita ut plures per menses hic morbus perdurare possit.

3) Angina parotidea valde propensa est, imprudenter admisso refrigerio, praecipue apud homines copiosis sudoribus in interno femoris latere et perinaeo laborantes, per metastasin ad inflammationem testiculi excitandam.

4) Morbi funiculi spermatici.

5) Seminis summa cum opera et labore retentio inter causas orchitidis accusatur; neque solum ex pollutione violente interrupta sed etiam ex coitu sponte impedito morbus excitari dicitur. Neque minus Priapismus continens et Satyriasis libidinosa inter causas laudantur.

6) Vogel (Tom. IV.) et lapidibus in urethra haerentibus et injectionibus acribus testiculum inflammari enarrat.

7) Nimia virium contentio sanguinis majorem auctumque affluxum ad testiculum producere potest, quo facto quum refluxus sanguinis ex scroto tam sit difficilis, congestio sanguinis, si hic status perduret, in inflammationem levi opera transgredi potest. (Chelius I. §. 153).

8) Homines masturbandi vitio dediti in testiculorum inflammationes et tumores incidunt; et levi modo occasione opus est e. g. refrigerio, sordibus intestinorum, aliisque, ut sive adsit gonorrhoea, sive non, testiculus intumescat. Tale exemplum, ubi hominem ante gonorrhoeae ortum occupavit orchitis, narrat Martin (Journal général de médécine etc. redigé par Sédillot 1812. Mense Aprili).

9) Ex Syphilide.

§. 3.

Quamquam orchitis, uti ex supra jam dictis elucet, ex causis tam diversis oriri potest, tamen una superest causa, quae longe saepius et plerumque orchitidem producit. Orchitis enim ex causa venerea et gonorrhoea originem ducere solet, ita ut aut per consensum aut per metastasin, sive inflammatione urethrae etiamnum florente, sive jam fugata in scenam prodeat. Duplicis vero generis rerum nocentium concursus esse potest, ut gonorrhoeam excipiat orchitis:

1) Sunt enim res, quas gonorrhoea aegerrime fert,

ita ut statim post noxias gonorrhoea obstruatur, inflammatioque urethrae ad testiculum transgrediatur. Sequitur vero, si frigus incaute administratur; si injectiones ex plumbicis remediis vel ex aqua frigida instituuntur.

2) Ad aliud vero rerum nocentium genus illae pertinent, quae membranae mucosae tantum injiciunt stimulum, ut inflammatio jam perstans adaugeatur, adaucta vero relinquat urethram et migret ad testes. Sunt autem hujusmodi violenta animi pathemata, nimius motus, uti in universum excedens virium contentio, coitus, abusus spirituosorum, remediorum laxantium, quae drastica vulgo nominantur et aequo modo diureticorum adhibitio, si balsamo Copaivae, Terebinthinae, Cubebis, Pipere nigro utuntur vel tempore vel modo importuno homines, qui gonorrhoea laborant. Non minus nocent injectiones in urethram maxime irritantes ex Hydrargyro muriatico corrosivo, ex Argento nitrico fuso, aliisque. Sunt quoque auctores, qui non modo excitantia et illa quae inflammationem urethrae adaugent inter causas orchitidis nominant, sed etiam deprimentia et debilitantia. Non tamen semper causa orchitidis tam certa est, ut unam ex his, quas modo proposui, accusare possis, quum uti medici observarunt (Rust Handbuch XII. p. 532) non raro obtingat, ut nulla re noxia antegressa, dum situs in lectulo quietus placidusque occupabatur, inflammatio tumorque subito aut glandulas inguinales aut testes corripiat.

§. 4.

Neminem quidem fugit, saepe post orchitidem go-

norrhoeam subsequi, quomodo vero ex inflammatione urethrae fiat testis inflammatus? utrum inflammatio modo progrediatur, an omnino deserat locum primo affectum, hoc etiamnum quaeritur. Illam sententiam nonnullorum prioris temporis medicorum, testiculum venereum ex resorptione veneni syphilitici oriri, eo magis praeterire possumus, quum illi viri hanc sententiam nullis argumentis fulcirent, nos vero hodiernis diebus bene sciamus, gonorrhoeam plerumque a veneno syphilitico longe diversam esse. Qui vero medici eo usque praegressi sunt, ut per consensum nasci posse orchitidem negent, dummodo metastaticam concedant originem, modum excedere videntur, quamquam per metastasin propagari orchitidem tanquam regulam proponere debemus. Videmus quidem inflammationem urethrae, si una ex causis supra dictis ab homine admittatur, qui gonorrhoea laborat, retrogradi et ad testiculos transire, quomodo vero haec metastasis perficiatur, id aeque nobis ignotum est, ac velocissimus ille transitus orchitidis in anginam parotideam. Contra vero consensualem orchitidis originem id etiam loqui nobis videtur, quod, uti observatio docet, in vehementissima urethrae inflammatione rarissime processus ille pathologicus ad testiculos propagatur.

§. 5.

Orchitis sive per consensum sive per metastasin, gonorrhoea praesente aut jam suppressa, orta, jam sede ab aliis orchitidis formis maxime discrepat. Dum enim, si testiculus vi quadam externa laeditur, paren-

chyma ipsum testis intumescere inflammarique videtur, aliam sibi eligit sedem orchitis gonorrhoica. Nam tumor et inflammatio non a teste sed ab epididymide incipit, ita ut epididymis inflammata et testis modo tumida adspiciatur: id quod Swediaur experimento in se ipso instituto expertus est. (Wendt, die Lustseuche p. 58.) Tamen diathesis phlogistica gravibus in morbi casibus ad tunicam vaginalem testis, ad vas deferens, ad parenchyma testiculi ipsum propagare sese potest. Hanc sententiam quasi novissime repertam invenimus a Dr. Franc. Marc. Moreau (Journal des connaissances med. chirurg. in: Schmidts medic. Jahrbücher T. IV. Hft. 2. 1834.) Verum enim vero non solum Rochoux, quem ipse collaudat, hanc observationem primus instituit, sed ante eum jam multi Germaniae medici; quam ob rem verba ipsa Ill. Wendt, cujus librum, jam per decennia medicis usitatum, supra attuli, laudavi. Ob peculiarem hujus orchitidis speciei sedem nomen epididymitidis metastaticae auctores ei tribuerunt.

§. 6.

Secundum experientiam Clossii, Girtanner, Bernstein tumor testiculi dextri multo saepius observatur quam sinistri. Tamen Martens (Handbuch der venerischen Krankheiten T. I. p. 226.) dicit, se inter quadraginta morbi casus, viginti novem vidisse, quibus testiculus dexter erat affectus. Unus tantum testiculus inflammari solet, quamquam exempla non desiderantur, quibus uterque erat affectus. Quod vero rarissime obvenit, sae-

pius autem observatum est, inflammationem in uno testiculo exstingui et ad alterum transgredi. Jam paucis praeterlapsis horis tumor ita crescere potest, ut infantilis capitis magnitudinem fere assequatur. Nunc causis recensitis ad diversas orchitidis species transeamus.

§. 7.

Orchitis idiopathica: causa externa, quaecunque sit, praegignitur, quare cutis simul inflammata est. Testiculus una cum scroto tumet, et si digitis comprimitur adeoque tangitur, maxime dolet. Sensim ad funiculum spermaticum proserpit inflammatio et dolores in cavum abdominale usque extenduntur. Tota propinqua regio calida, rubefacta. Etiam febris accedere solet.

§. 8.

Orchitis syphilitica: Non raro accidit, ut lues universalis, praecipue quum causa occasionalis, quae syphilitica dyscrasia conservatur, adfuerit, orchitidem proferat. Decursus est chronicus. Epididymidem esse affectam maxime dubito, quare magnum intercedit discrimen inter orchitidem syphiliticam et gonorrhoicam per abusum modo »veneream« appellatam, qua de causa difficillimum est hanc a sequentibus speciebus distinguere.

§. 9.

Orchitis scrophulosa antecedentis signa prae se fert. Itaque signa dyscrasiae scrophulosae universalia ad morbum cognoscendum in auxilium medicus vocet necesse est.

§. 10.

Orchitis haemorhoidaria et arthritica: si et causae

praedisponentes et occasionales, quas supra exposui, convenerunt, gastrica signa plerumque sese ostendunt: ructus, anorexia, vomituritiones et vomitus ipse. Tum aegrotus sensu aliquo insolito ingratoque in abdomine cruciatur, qui per annulum abdominalem cum funiculo spermatico ad testiculos usque descendit. Testes ipsi dolent, tument, funiculus spermaticus plerumque etiam afficitur. Febris si qua adest magis est erethica cum gastricis et biliosis turbationibus conjuncta, quam synocha, quae alias orchitidis formas comitatur. Si una cum hac orchitide gonorrhoea locum habuit, interdum fluxus materiei ex urethra desiit, qua re evenit, ut epididymitis gonorrhoica saepius hac cum specie, quae quod ad gonorrhoeam attinet plane est sejuncta, commutata sit. Et exitus orchitidis haemorrhoidariae seu arthriticae notatu dignus est, quum saepissime in indurationem non solum benignam, sed etiam malignam transeat. Orchitidem a turbata digestionis functione dependentem vidit Golding a. 1793. in Berkshire ita frequentem, ut epidemiam eam denominet (Eisenmann T. II. S. 96.)

§. 11.

Orchitis rheumatica: rheumatismo telae musculares, fibrosae et serosae laborant, quam ob rem si testiculorum apparatus eo corripitur, aut in tunica vaginali communi aut testis propria aut in tunica albuginea sedem sumit. Si primum fit, tumor ab inferiori scroti parte secundum funiculum spermaticum ad annulum inguinalem procedit, ubi autem tunica vaginalis testis affligitur, tumoris forma

plus minusve testiculi formae respondet et exsudatione facta vix dolet, prius contra dolores vehementes, trahentes, pungentes aderant. Si tandem rheumatismus tunicam albugineam occupat, tumor ipsam testiculi formam retinet. Etiam arthritica metastasi tam tunica vaginalis testis quam quaeque alia membrana serosa affici potest, parenchyma autem hoc casu inflammatum esse certis exemplis non firmatur. Jam supra, quum de causis disseruerim, exposui affectionem rheumaticam saepius diversas testiculi partes occupare et per menses hic illic circumvagantem perdurare posse.

§. 12.

Orchitis s. Epididymitis gonorrhoica: tumorem praecedere solet suppressa gonorrhoea, sensus tensivus ex abdomine ad regionem lumbalem et pelvem descendens, et gravitas quaedam molesta scroti; quae signa si intrant, malum pronuntiant. Si scrotum investigamus, conspicimus ovalem, mollem, mox vero induresсentem calidum tumorem; cutis est tensa, splendida, rubra; interdum etiam sese elevant glandulae cutis, ita ut quasi grana arenae tangantur, quare nomen »Sandkloss« derivatur. Eodem tempore intrant anorexia, vomituritiones et vomitus. Tumor et inflammatio crescunt et nonnunquam magnitudinem capitis infantilis assequuntur. Testiculus ad annulum abdominalem ascendit, funiculus spermaticus plus minusve tumoris est particeps, ita ut interdum ad incarcerationem usque intra crura annuli abdominalis intumescat. Inflammatio ad organa in abdomine conclusa pro-

serpere potest, aut per consensum ita afficiuntur, ut vomitus violentus, meteorismus, singultus prodire possint. Si modo epididymitis metastatica alicujus est momenti, febris accedit. Aegro nec noctu neque interdiu quies est permissa, ita ut situm suum non sine magna difficultate mutare possit, erecto vero corpore scroto pendulo stare nullo modo ei licet. Tandem deliria atrocia a medicis observata sunt.

EXITUS MORBI.

§. 13.

1) Resolutio indeque consequens valetudo completa testis, frequentissime aptae curationis sequela observatur. Haec autem fieri potest sine ullo respectu gonorrhoeae antecedentis, quare maxime mirum est, si Eisenmann (l. c. p. 98) dicit: »diese vollkommene Genesung erfolgt allmählig, wenn der Tripper zurückkehrt«, quum medici sine ulla gonorrhoeae restitutione epididymitidem sat saepe jam sanaverint. Interea confiteri debemus, ab epididymitide, aptissimis remediis administratis, et inflammatione jam per octo dierum intervallum, quod valde faustum est, fugata, saepissime indurationem pisi magnitudine relinqui in capite epididymidis. Qua de re aegri maxime sunt timidi et perterrefacti, praesertim si remediis per annum integrum et quod ultra est, adhibitis, induratio pertinaciter obstat. Tamen hanc indurationem pisiformem sine ullo discrimine esse neque fertilitatem virilem auferre medicis persuasum est.

§. 14.

2) Suppuratio: Quamquam plures auctores hoc de exitu dubitant, tamen, quum a celeberrimis medicis sit descripta, extra dubitationem posita est. Baillie (Anatomie des kr. Baues etc. v. Sömmering. S. 205), Callisen, Kirkland (Inquir. into the pres. State of med. Surgery. Vol. II.) exempla afferunt hujus exitus. Praecipue testis suppuratio obvenit, neglecto apparatu antiphlogistico. Aeger horripilationibus et horrore corripitur, febris fit vehementior, tumor augetur, dolore pulsante. Elevat sese tumor acuminatus, qui purpureum exhibet colorem, et mox fluctuatio hoc loco sentitur et ex abscessu materies puriformis extus effluit. Raro obtingit, ut modo scrotum sit affectum et abscessus sedes, sed testis ipsa et substantia ejus parenchymatosa in suppurationem transire solet. Tristem hunc exitum cognosces, si filamenta griseo-cinerea in abscessu apparent, quae nihil aliud sunt, quam circumvoluti canaliculi seminales. Jam vero cavendum est, ne fluctuationem falsam cognoscere credamus, si non adest: constat acmen testiculi inflammati digito tangenti sensum fluctuationis fallacem praebere (Wendt, die Lustseuche, S. 60). Quam tristes forent effectus, si incidere tumori tentare conaremur!

§. 15.

3) Induratio epididymidis et testis: Si resolutionem exceperis, induratio frequentissima epididymitidis gonorrhoicae est sequela. Solet epididymis indurationem inire, raro testis. Inepta curatio, vitia diaetetica florente in-

flammatione admissa, diu protracta epithematum frigidorum administratio hunc habent finem. Sed omnes fere medici contendunt, hanc testis mutationem malignitate carere, nonnullique prorsus negant, scirrhum verum subsequi posse hanc indurationem. Quamquam infaustus hic transitus in tumorem malignum raro obvenit, tamen est observatus, et Larrey (Denkwürdigkeiten, p. 596) recte monet, si dispositio ad malignos tumores aut dyscrasia aliqua corpori inhaereat, praesertim si novi stimuli in locum affectum admittantur, tristem letiferumque exitum in scirrhum et cancrum haud dubie in scenam posse prodire.

§. 16.

4) Extenuatio et quasi atrophia testis, ita ut dimidium vix circuitum quam statu sano habeant.

5) Gangraena: Hic exitus vix aliter adesse potest, nisi dyscrasia corpori inest, aut inepta curatione, aut incarceratione funiculi spermatici in annulo abdominali producitur.

§. 17.

Prognosis in epididymitide gonorrhoica. Orchitis, cujus decursus cum signis urgentibus conjunctus est, haud sine discrimine decurrit, quum inflammatio proserpere possit, ab epididymide ad ductum deferentem et funiculum spermaticum itaque incarceratio funiculi spermatici in annulo abdominali produci possit. Quin immo inflammatione supra abdominis organa progressa peritonitis et enteritis aegrotum corripere possunt. Quam autem falsa aut omnino neglecta curatio instituatur necesse est, si ta-

lem exitum progignat! — Intérea non omnes hujusce morbi casus tam vehementem symptomatum turbam convocant, et aptae maturaeque curationi frequentissime obtinget intra novem dierum spatium epididymitidem non valde gravem, uti in omnibus erysipelaceis inflammationibus fieri solet, debellare resolutionemque efficere. Debilitas vero universalis, constitutio dyscrasiis varii generis labefacta, vitia diaetetica durante curatione admissa, sanationem longius protrahere possunt. Inprimis autem memoratu dignum est, homines scrophulis aut arthritidi aut morbo haemorrhoidali obnoxios, si in orchitidem inciderint, longam et difficilem modo permittere curam, et maxime ad exitus morbi, quos praeter resolutionem supra deposui, propensos esse. Constat etiam juvenes masturbandi vitio deditos, si orchitide afficiantur, in testis atrophiam delabi. — De infausto epididymitidis exitu in suppurationem, gangraenam, atrophiam testis supra jam fusius locutus sum. Etiam de levi indurationis partialis significatione disserui, hoc modo addere liceat, indurationem talem saepius jam evanuisse, si novam homo sibi comparaverit gonorrhoeam. Raro modo sunt exempla hanc indurationem testis causam praebuisse testis degenerationi: timor autem ne hydrocele et sarcocele minetur, praesto esse debet, si tumor in scroto non diminuatur, et fluxus ex urethra non redeat. Ceterum constat, homines, qui jam semel laboraverint epididymitide, multo lentius a malo liberari, quam si primum essent affecti, et uti in universum in hoc morbo valet praedictio: quo sae-

pius homines jam hoc malo sunt affecti, eo difficilior est curatio.

CURATIO.

§. 18.

Mirum est, quomodo medici in curando tam simplici morbo diversam sequantur sententiam. Omnes quidem has constituunt medelae indicationes:

1) inflammationem quam celerrime debellandi;

2) sequelas morbi prohibendi.

Sed sunt, qui dicant, ex curatione has indicationes sequenti nullos percipi fructus, nisi inprimis tentetur gonorrhoeam exstinctam revocare. Quamquam nostris temporibus omnes fere medici, qui aliquo titulo gaudent, hanc recusant sententiam, tamen inter novissimos, qui restitutionem gonorrhoeae prorsus necessariam esse existimant, Eisenmann affero. Et hic quidem tanquam praecipuam et primam indicationem jubet »Entfernung der Ursache durch Wiederherstellung des Trippers.« Saepe fit, ut cataplasmatibus emollientibus in tumore impositis etiam gonorrhoea restituatur, sin autem hoc non fiat, Hirschel (Betrachtungen über den jetzigen Gebrauch des Sublimats und Schierlings. Berlin 1764) et post eum Schoenmetzel (Adversar. medico-pract. p. 39) quae loca Eisenmann laudat, primi inoculationem gonorrhoeae artificialem commendant. Alii putant, solos cereolos in urethram immissos huic scopo satisfacere. Scarpa injectiones olei calefacti in urethram fa-

cit, Martens (Handbuch der venerischen Krankheiten, p. 134) dicit, nonnullis in casibus concussiones galvanicas fluxum gonorrhoicum jam exstinctum revocasse. Novissimis temporibus Barton solutionem grani unius Tartari stibiati in aquae destillatae unciis quatuor ad injectionem in urethram commendavit. Tandem decoctum Daphnes Mezerei (ʒij in Colaturae ℥vi) conjunctum cum Ammonii puri liquidi ℈j tamquam injectionem nonnulli medici adhibuerunt.

Certe quidem bonum est, si, orchitide ex gonorrhoea exstincta enata, gonorrhoea cito iterum oritur. Sed non semper hanc rem ita sese habere, illa docet observatio, testes coepisse inflammari, dum gonorrhoea adhuc floreat, et contra testium inflammationem desiisse sine ulla gonorrhoeae restitutione. Praeprimis in omnibus morbi casibus indicatio essentialis praevalet in medici consilio, deinde sequitur indicatio causalis. Quod argumentum si in auxilium vocamus nobis suadet, debellare inflammationem, hac autem in re semper gonorrhoeae exstinctae respectum habere, praecipue si fieri potuerit, ut iisdem remediis, quae inflammationem auferant, gonorrhoea etiam producatur. Quamobrem omnino comprobandum est consilium, hoc modo gonorrhoeam in orchitide restituendi. Aliter vero res sese habet, si injectiones acres et irritationes mechanicae a medicis nonnullis commendantur. Nam uti nemo in orchitide ex parotitide per metastasin orta, stimulo quodam mechanico uti acu aut cultro adhibito reducere tentabit inflammationem, ut orchitis dis-

pareat, sic caret omni fundamento, inflammationem urethrae reducere vehementem in modum, quando inflammatio jam dudum ad testes transgressa sit. Nam quum observatio doceat, durante gonorrhoea orchitidem nasci posse consensualiter, quae causa subest, cur inflammatione urethrae artificialiter incitata orchitis sanari debeat. Si quidem illud temporis momentum investigare possemus, quo inflammatio profectura est ab urethra ad epididymidem, tunc emplastro vesicatorio in pene imposito, hanc migrationem interrumpere et prohibere valeremus. Sin autem inflammatio urethrae omnino est exstincta, inflammatio vero testis in vigore floret, nonne potius damno esset hominis inflammationem urethrae revocare et hanc perstanti adhuc orchitidi addere, quam valetudini? Sed non solum urethra inflammabitur, sed etiam adaugebitur orchitis injectionibus acribus et in posterum tempus in scenam prodibunt tristes incaute cereolorum administratorum sequelae, nempe carunculae et stricturae et serpentes illae inflammationes urethrae, quae gonorrhoeam atrocissimam et cachexiam illam, quam dicunt gonorrhoicam (Tripper-Cachexie) producunt. Tamen jam jure diutius his in rebus perseveravimus, quum virorum celeberrimorum sententia nunc temporis perstet, gonorrhoeam impetuosum in modum nunquam revocandi.

§. 19.

Ut inflammationem testiculi auferamus, eamque resolvamus, apparatu antiphlogistico uti necesse est: qua in re vero semper gradus inflammationis et aegroti virium justus habendus est respectus. Sanguinis detractio uni-

versalis non erit necessaria, nisi inflammatio sit vehemens aut aegrotus sanguinis copia impletus (Rust Wörterbuch. Bd. XII. S. 535). Novi tamen medicos practicos hac in urbe valde exercitatos, qui nullam instituunt orchitidis curam, nisi antea vena sit secta, quoniam, uti dicunt, decursus morbi multo fiat citior, induratioque epididymidis eo facilius prohibeatur. Multo saepius hirudines adhibentur, quae in perinaeo aut interna superficie crurum, aut sine ullo detrimento, in scroto ipso ponuntur. Numerus earum intra 5—10—15 anceps est. Si inflammatio crescat aut saltem non diminuatur, hirudinum applicatio repetenda est. Interdum etiam funiculus spermaticus tumet et dolet hoc in casu et huic tot hirudines, quot necesse est, applicari debent. Sanguinis effluxus post hirudines adhibitas per aliquot tempus promovendus est. Huc etiam pertinet infricatio unguenti neapolitani in interno crurum latere. Quotidie ʒß aut ʒj adhibetur, ita ut aegrotus in vehementiorem ptyalismum non incidat. Nam incommoda, quae cum salivatione exigua conjuncta sunt, non respici merentur, si fructus uberrimos conspicimus, qui has infrictiones sequuntur (Rust Wörterbuch, Bd. XII. S. 526). Maxime etiam conducunt infrictiones ex unguenti hydrargyri cinerei et olei hyoscyami cocti partibus aequalibus.

§. 20.

Remedia interna etiam ex apparatu antiphlogistico desumuntur. Maxima navanda est opera alvi obstructionibus, quum aegri hujusmodi tantopere ad alvum obsti-

patam sint propensi, obstructio vero pressione intestini recti morbum augeat. Remedia, quae hic pertinent sunt: Magnesia sulphurica aut Natron sulphuricum cum infuso foliorum Sennae, infusum Sennae compositum, Tamarindi, Manna, Electuariam lenitivum; etiam oleo Ricini alvus solvi potest (Eisenmann l. c. p. 104.) Clysmata non solum alvum aperient, sed etiam leniter contra testem inflammatum pugnabunt. Et Calomelas scopo purgandi cum aliis aptis remediis conjunctum maxime aegrotum adjuvabit. Ad quem finem Wendt (Lustseuche p. 63.)

℞ Pulv. Hydr. mur. mit. ℈j
— rad. Jalapp.
Lap. Cancror. ppt. āā ʒj
Sacch. alb. ʒij.
M. divid. in pulv. aeq. num. X.
D. S. Trihorio quoque pulvis unus sumatur.

Complures vero medici externum Hydrargyri usum interno praeferunt, quia tum salia neutra melius administrare iis licet. Quibus remediis adhibitis, si inflammatio adhuc viget, doloresque aegrotum urgere pergunt, emulsionem cum Kali nitrico aut alio sale refrigerante praebere possumus. Camphoram, quam Wendt quoque ad hunc fienm hacce in forma:

℞ Camphor. ras. gr. viij
Mucilag. Gumm. Mimos. ℥j
misc. terend. invic. et sens. add.
Emuls. amygd. tenuis ℥iv
Sacch. canar. ℥iij
MDS. Bihorio quoque cochlear majus sumendum.

perscribere solet, valde conducere vidi.

§. 21.

Sanguine satis detracto, quaeritur num epithemata frigida scroto imponamus, an cataplasmata emollientia. Frigoris auxilium jubent inter alios Vogel, de Walter (System der Chirurgie), maxime vero adversarius praeter multos alios est Rust. In uno igitur latere sunt, qui summum levamen afferre frigus contendunt, in altero vero stant, qui summum inferre damnum indicant. Quum viri tam magni utramque sententiam protulerint, nostrum est, ut fusius hanc rem introspiciamus. Constat frigus, si certis temporis intervallis organo imponatur, ita ut per multo longius tempus id destitutum sit, sanguinis fluxum congestivum ad organon laesnm producere. Hanc igitur frigoris adhibendi methodum etiam in orchitide nullum alium nisi nocivum effectum producere posse, elucet. Multo vero aliter res sese habet, si sedulo et continuo epithemata frigidissima adhibeamus, aut glaciem ipsam imponamus, ita ut vita organi inflammatione adaucta impetuosum et perseverantem in modum deprimatur. Ex frigore tali modo administrato celeberrimi hujus urbis medici, laetissimos, ut mihi enarraverunt, ceperunt fructus. Difficile quidem est, praesertim in praxi, quam dicunt privata, hanc methodum continuo in usum vocare. Quare ut damnum ex irregulari frigoris adhibitione timendum evitemus, raro modo frigore hoc in morbo medico uti licet. Ceterum non necessarium est addere, me de frigore loquentem, modo acutam testium inflammationem in mente habere. Qua in re Fritze et Chelius consi-

lium haud contemnendum dant, dum fomentationes frigidae in scroto imponantur, cataplasma calidum circa penem applicandi, praesertim quum urina doloribus emittatur. Si autem frigus per nonnullos dies orchitidem cogere non potest, ad cataplasmata emollientia vertamus nos necesse est. Quam rem aegre ferre non debemus, quum cataplasmata et fomentationes calidae maxime conducant; nam nocere aut transitum inflammationis in suppurationem promovere eo minus possunt, quum structura et indoles testium non sit ad suppurationem propensa.

§. 22.

Cataplasma modo simplex modo compositum administratur. Facillime usurpamus ad hunc finem massam e semine Lini, quod si aqua saturnina copiose adspergitur, cataplasma Goulardi nominatur, medicisque maxime commendatur. Alii micam panis cum lacte, Species emollientes adhibent, et Opium, Hyoscyamum, Belladonnam etc. addunt, ea conditione, ut dolores mitigentur. Girtanner dicit hocce cataplasma sibi maxime conduxisse:

℞. Sacch. saturn. ʒii
solv. in
Acet. vin. ℥iij
add.
Aq. destill. Libr. ii
Mic. pan. alb. q. s.
ut f. catapl.

Cataplasma sit tantum, quantum sufficit, ut testes

utrique una cum pene circumvolvantur, quod nullo modo est negligendum, quando gonorrhoea orchitidis causam praebuit. Hic etiam pertinent balnea vaporis localia, praesertim si ex aceto producuntur; si non jure calidiora sunt et congestionem sanguinis ad organon affectum promovent maxime conducunt. Si dyscrasia quaedam adest, vapores ex plantis aromaticis, ut ex Chamomilla, Humulo, Sambuco, Mentha, Rore marino, similibusque parari possunt, qui multo meliores sese ostendunt, quam sacculi medicati, quos complures medici commendaverunt. Sed scrotum sacculo molli fulciendum est, ne testiculus inflammatus gravitati propriae relinquatur. Maxime autem necessaria est quies, ita ut aegrotus in situ horizontali tam diu perseveret, quam inflammatio non est debellata. Diaeta sit lenis, vegetabilis, antiphlogistica. Balnea tepida maxime juvant eo stadio, quo morbus chronicus fieri coepit.

§. 23.

Quamquam haec medendi methodus inter medicos est usitatissima, tamen non possum quin Tartari stibiati fructum praeclarum et insignem summa cum laude commemorem. Illustrissimus enim Sachs Regiomontanus hoc remedium aequo modo praebet atque in pneumonia, ita ut quatuor usque sex in aquae destillatae unciis totidem solvantur et solutio binarum horarum intervallo cochleatim sumatur. Hoc modo orchitis intra octo dierum spatium vinci sine ulla induratione remanente dicitur.

Ceterum hoc loco moneamus, curandi methodum

semper diversis orchitidis speciebus adaptatam esse debere. Quare, ut in aliis omnibus morbis necesse est, quoque casu orchitidis causa respcienda est.

§. 24.

Novissimis temporibus illustrissimus Frick (Zeitsch. für die gesammte Medicin etc. Bd. I. Hft. 1—4. 1836.) nos docuit compressionem et contra acutam et contra chronicam orchitidem, remedium non modo dolores aegroti sed etiam morbum ipsum quam celerrime opprimens. Instituitur compressio taeniis linteis unum cubitum longis, pollicemque latis, secundum lineam fissis, emplastro ex emplastro Lithargyri partibus sex et Colophonii parte una composito, illitis, hoc modo: dum testis aegrotus cum funiculo quam maxime a sano detrahitur, taenia emplastri penitus supra testem aegrotum affigitur et primum funiculus in orbem circumvolvitur, quod autem valde intente fieri debet, ne testis, si inferior ejus pars comprimitur, per lagenam ad annulum abdominalem perlabatur; quo in casu dolores cruciabunt aegrotum et operatio nihil proderit. Aequo modo aliae taeniae ad fundum testis descendentes ita circumdantur, ut posterior priorem semper in parte tegat; quo facto operatio finitur taeniis ab antica ad posticam testis partem circumductis. Si autem uterque testis laborat, primum, ut diximus, comprimitur unus, deinde taeniis totum scrotum in orbem circumdantibus alter. Dolores aegroti nos gradum compressionis docere debent, et si paucis horis praeterlapsis post compressionem factam mirum in modum diminuun-

tur, haec quam optime est instituta. Non raro evenit, ut valde sensibilis cutis emplastris corrodatur, quo in casu parvis modo incisuris in emplastris factis ad locum affectum affluere potest et in integrum restituere cutem aqua Goulardi. Emplastra non prius removeantur, quam tumor ita sit collapsus, ut forfice subducto taeniae perscidi possint. Saepissime non repeti debet compressio. Haec curandi methodus non modo in epididymitide gonorrhoica et in orchitide consensuali, sed etiam in idiopathica testiculi inflammatione, funiculo simul laborante, scroto rubefacto et corroso maximum praebet commodum.

§. 25.

Quam frequens induratio epididymidis imo aptissima curatione adhibita post orchitidem remaneat, et quam raro haec aegroto discrimen minitetur, supra fusius jam enarravimus. Curationem hujus affectionis silentio igitur premere possemus, nisi aegroti summo timore correpti essent, ne potentiam liberos progignendi amitterent, aut induratio in statum malignum transgrederetur, quod fieri quidem, ut quoque (§. 15.) vidimus, potest. Quando inflammatio breviter modo progressa est, consequentem indurationem aut epididymidis aut testis, si leviter modo aut omnino non dolet, spem habere licet, fore, ut eam fugemus quiete, situ horizontali, diaeta sparsa et tandem uti dicitur, suspensorio, quod omni scrotum pressione prohibet. Cataplasmatum usus magni aestimandus est, eo tamen modo, ut a levioribus remediis ad acriora transgrediamur. Herbis igitur supra laudatis admisceantur

Cicuta, Mezereum, Sapo, Kali sulphuratum, Allium Cepa. Cataplasma Atropae Mandragorae radicis, ita ut pulvis radicis cum lacte coctus, mica panis albi admisceatur, calidum scroto imponatur, maxime a Plenk et Swediaur commendatur. Emplastrum mercuriale cum Opio et Camphora Rustio maxime conduxit: hanc vero praescribit formulam:

℞ Empl. Hydr. ciner. ℥jj
- Lithargyr. compos. ℥j
Op. pur. ʒß
Camphor. ℈j
M. f. empl.

Similem effectum praebebit emplastrum Gummi ammoniaci cum aceto squillitico paratum. Indurationem pertinacem complures medici sanari viderunt, quum testem electricitate concuterent.

Si cirsocele orta est, juvabit, scrotum saepius aqua frigida aut saturnina lavare. Si vero dolores lancinantes in teste accedant, quod raro tantum eveniat, et induratio inaequalis et tuberosa fiat, tum cunctari non debemus, remedia alterantia infra commemoranda praebere. Quae vero si nihil conducant, exstirpatio testiculi consequatur necesse est.

Series remediorum ad usum internum commendatorum permagna est. Multi medici inter quos Rust usum emeticorum a Swediaur et Hecker propositorum maxime juvasse dicunt; cient triduo quoque emesin. Siquidem vis resolvens emetici multis in casibus praeclara est,

tamen saepe fit, ut nihil conducant; semper vero fatendum est, emeticorum perseverantem usum maxime molestare et digestionem perturbare ingentem in modum. Magis autem adhiberi merentur: pulvis Plummeri, Guajacum, Sapo, Cicuta, aliaque remedia. Swediaur summis laudibus effert remedium a van Swieten maxime commendatum:

℞ Lapid. cancr. ppt. ℥j
Vin. Rhen. opt. ℥xjj
MDS. Bis de die cyathus dimidius sumatur.

Ononidem spinosam Acrel collaudat et Abrahamson hac in formula praescripsit:

℞ Rad. Ononid. spinos. ℥jj
coq. c.
Aq. font. Libr. jß
Colatur. Libr. j add.
Sacch. alb. ℥jj
M. D. S. Cochleatim.

Alii medici decoctum Mezerei, Asam foetidam, Aconitum similiaque ad hunc finem administrarunt. Novissimis temporibus etiam Jodi praeparata magno cum effectu adhibita sunt.

V I T A.

Ego Hermannus Jacobus Sachs, religioni judaicae addictus, natus sum Berolini, anno duodecimo saeculi hujus a patre Jacobo et a matre Susanna e gente Levi. Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Leucophaei nomine adii, quod tunc temporis florebat directore Beat. Koepke. Hoc gymnasium per quatuor annos frequentavi, et litteris, quae ad studia academica viam muniunt, eruditus, a. MDCCCXXXIII examine, quo maturum me praestiteram, superato, in hanc litterarum sedem me contuli, et ab Ill. Weiss, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, nomen apud Ill. Osann, t. t. ordinis medicorum decanum, professus sum. Tum interfui his praelectionibus: Ill. Schultz et Ill. Kunth de botanice, Ill. Mitscherlich de chemia, Cel. Beneke de logice, Cel. Wiegmann de zoologia, Ill. Schultz de encyclopaedia medica, Ill. Schlemm

de osteologia et syndesmologia, Ill. Mueller de anatomia universali, comparativa et physiologia. Idem mihi praeceptor erat cum Ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi. Ill. Wagner de pathologia et therapia tam generali quam speciali. Clinicis utebar medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis Cel. Barez, Ill. Bartels, Ill. Busch, Ill. de Graefe, Ill. Juengken, Ill. Rust, Cel. Truestedt, Cel. Wolff.

Quibus viris omnibus maxime venerandis optimeque de me meritis, summas, quas possum, ago gratias.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Mamma scirrhosa amputanda est.
2. Natura systemate caret.
3. Placenta non statim post partum arte solvenda est.
4. Inflammationis causa in aucta vi vegetativa non consistit.